

# Twee onuitgegeven brieven

VAN

CUNERUS PETRI,

BISSCHOP VAN LEEUWARDEN,

van 1578, uit het Bergumer klooster, aan den Raadsheer

ELBERTUS LEONINUS.

---

## I.

Clarissime consultissimeque domine doctor!

Nescio an dominus meus audiverit me liberiori nunc aëre frui et ex arce Haerlingana liberatum degere intra limites cujusdam pagi nomine Bergum prope Leonardiam, cuius fines mihi pro cancellis constituti sunt. Sane memini similia mihi a tua dominatione predicta, cum munus istud, te non multum consulente, susciperem. Ceterum quid nunc faciam. Patientia, ait apostolus, vobis necessaria est, dominus sua bonitate providebit; maxime vero compatior fratribus meis capitularibus quos omnes novi et scio pauperes quibus ex proprio nihil suppetit, quorum nonnullos magna necessitate et occulta miseria, inopia, fame, siti laborare, ut ea cogitans a lachrimis me continere non possim. Gratias igitur maximas V. D. pro illis simul et pro me ago, quod tam cordate et efficaciter cau-

sam illorum et meam per Capellanum promoveris, orans et obsecrans ut eandem ad felicem exitum perducere digneris, sciens eos cum poterunt mecum gratos et beneficii memores futuros. Ego hic in paupere dego monasterio ubi tamen victus sobrietatem aëris benignitas compensat; non sum, laus deo, alicuius mihi conscius, propter quod hoc pati meritus sim, tametsi Deo in multis debitor sim, presertim propter commodos dies et honores, quibus Lovanii apud te cum uxore et apud alios optimos (*confratres frui*) soleo, rogo ut verbo per istos confratres (*communicare velis*) nobiscum, quo facto mihi opus (*sit, et indicare quo*) in statu res meae su(*nt in presenti. Dominus*) Deus (*Optimus Maximus*) dignetur te cum optima coniuge servare incolumem, quam rogo ut ex animo mihi salutare digneris cum 50 ave marie. Datum in Bergum, 29 Octobris, anno 1578.

Inscriptio :

Clarissimo consultissimo domino  
D. doctori ELBERTO LEONINO,  
Secreti Concilii consiliario digniss.  
domino et amico suo,

---

## II

S. P. Clarissime domine doctor, presidium et post Deum anchora mea. Liberiore quidem nunc aëre, laus deo, fruor, sed ratio unde vivam mihi deficit. Conventus enim, in quo paupercule dego, talis est ut neque possit neque velit me gratis sustinere, et tamen alio

propter cautionem et promissionem me vertere non possum. Designavit quidem mihi nuper D. Gubernator summulam aliquam, quam ex meis debitis reciperem, sed nec illa parata est et aliis vere debetur. Quoniam igitur ipsemet nunc vobis adest, rogo ut communicato consilio benigne de negotio meo disponere dignemini, ut videlicet in libertate sanus vivere ac domino Deo et ecclesiae libere servire queam. Equidem si fieri et impetrari possit, optarem ut saltem pro tempore vitae meae in honore et officio permanere et ecclesiae servire possim secundum leges et conditiones, quas dominis prefigere libebit, ut sic cum honore episcopatus, si eum amplius nolunt, et sine ignominia sepeliatur; quodsi titulum non amplius ferant, saltem sub alio titulo mihi liceat, quod per commissarium ecclesiasticum fieri debet. Quoniam enim semper aliquem ecclesiasticum, qui clero praesit, habere debent, quid refert an novum aliquem assumant, an quem habent, retineant, cum hoc commodi accedit, quod iam domi gratis habent id, quod magnis sumptibus et periculis extra provinciam petere debent. Quod si nihil horum impetrari queat, id saltem obtineam ut constituta honesta pensione in libertate domino Deo vivere queam. Rogo, mi amantissime doctor, ut iuxta prudentiam et bonitatem tuam negotium dirigas et eam supplicandi formam Cappellano meo suggeras, qualis tibi pro rerum conditione commodissima et optima visa fuerit. Saluta ex animo pietissimam coniugem, quam rogo ut tecum et optimam familiam tuam D. Deus in sua gratia custodiat. Rogo autem ut meminisse et sugge(re)re digneris, quod

huic muneri me non ingesserim, sed vocatus a Rege meo conditionem optimam, ut scis, reliquerim. Datum in monasterio de Bergum, anno 1578, 13 Decembris.

Inscriptio : D. V. Servitor et amicus ex corde  
Clariss. D. dno ELBERTO LEONINO, Concilii Regii consiliario dignissimo. CUNERUS,  
Episcopus Leovardiensis.  
D. et amico suo.

Medegedeeld door nu wijlen Dr. R. C. BAK-  
HUIZEN VAN DEN BRINK, Rijks Archivaris.